retur. In qua deliberatione quid aliud intellegi datur, nisi retributionis timor, scilicet ne quando ad fastigium apostolice dignitatis provecti, suam vindicarent iniuriam. Inf. Huiusmodi vindictam propterea inferre decreverunt, ut ambitionem a sacro ordine penitus removerent.[i] Def. Sicut morbus non valet expellere morbum, ita nec vitium excolvi vitio.[a] Quocirca quid aliud ex peccato gigni potest, quam peccatum vel pena peccati. Stipendia enim peccati mors. Bene inquam, bene, quod neophitum apostolica celsitudine proiecerunt. Sed manifeste in eis peccaverunt, qui secundum canones ordinati fuerant, et eos deponere non formidaverunt, eosque nefario ausu iterum in eodem ordine[i] consecrandos esse statuerunt. Alioquin (frustra) sanctissimus papa Leo (censuit, ut pseudoepi abiciantur, et eorum ordinatio rata[c]) consistere possit; Frustra etiam papa Anastasius praefixit, ut ordinationem[o] Acacii nulla portio lesionis attingeret, Immo et Liberii ordinationes atque Vigilii consecrationes frustra illibatae permanserunt. Nunc post apostolos quis in ecclesia *maior beatissimo papa Leone, ad cuius ut ita dicam coelestem rugitum diversi et plures heretici exterriti sunt atque[e] fugati. Nec papa Anastasius est contempnendus, quia suos decretales apices evangelicis pariterque apostolicis testimoniis roboravit. Nec sanctissimus papa Gregorius est parvipendendus, qui scripsit, ut sicut baptismus iterari non debet, ita nec consecratio iterari[i] non valeat. Quapropter si horum patrum statuta observanda non sunt, ubi est ergo, quod scriptum est: Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui. et apostolus: Licet nos aut angelus de caelo aliud vobis evangeliza-

[i] amputarent 3.

[a] vitia cod. 1. Vitium potest excludere vitium 3. cui sequentia Quocirca – mors desunt.

[i] eadem ordinatione 3.

[c] c. u. p. a. e. e. o. r. desunt 1.

[o] o–m 1.

* ~~fol 121.~~

[e] e. s. a. desunt 3.

[i] dest 3.